De educatione puerili

Aphorismi,

quos

Consentiente Max. Venerando Cons. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris obtinendo

publico judicio offert

CAROLUS GUSTAVUS BERLING,

Philos. Mag., Math. Docens & ad Scholam Cath. Lund. v. Rector,

Respondente

L. T. HEDBERG,

Ostrogotho.

In Acad. Carolina die XXII Maji MDCCCXXXIII.

LUNDÆ,

typis excudit C. F. Berling,

Universitatis Typographus,

MDCCCXXXIII.

Prosten

Högärevördige och Höglärde

Magister

Herr ANDR. BRUZELIUS

och

Prostinnan

JANETTE BRUZELIUS

tillegnas denna Afhandling

ödmjukligen

af

L. T. HEDBERG.

1.

Uti solis lumini & calori omnia quæ e terris gignuntur, suam crescendi semetipsaque alendi vim debent, ita generi humano, ut excultius meliusque evadat, subsidio educationis opus est. Cum vero in omnibus, quæ fiunt quæque aguntur, finem quendam respiciant homines, finis educationis is est, ut, quod cuique a natura propositum sit, id quisque assequatur. Vi pertenui vitali facultatibusque animi multo levioribus homo in curriculum vitæ & in seriem eorum, quibus aliquando imperabit, intrat. Perlevia adsunt vestigia appetituum, finem quendam certum non adhuc spectantium, voluntatem aliquando leges laturam viresque instrumenta illius futuras, indicantia. Quæ voluntas flectenda est & limitibus circumscribenda, ad res quasdam singulares, in quibus versetur, dirigenda, rationi subjicienda, ut libertatem assequatur, vi tamen, quoad libertatem, cœrcenda, ut sua ipsius rite utatur aliorumque libertatem observantia prosequatur. His vero limitibus circumscripta, firma suique potens adsuescenda est præterea, nihil, quod sit bonum rectumque, arduum ducere, nihil, quod sit periclitandum, tot obnoxium difficultatibus, ut effici nequeat. Voluntate hoc modo præparata & culta fieri potest, ut in rerum natura honestas vera exsistat, hoc modo quod sibi propositum habent homines, assequentur, fiantque quasi vinculum inter Deum eaque omnia, quæ ei suam debent originem. Si vero usque eo perducatur voluntas, vires, quas dicunt physicas, eodem modo esse excolendas, quis non videt? Si enim absurdi aliquid in se habet, facultates animi sine corpore, in quo agant, sibi fingere, haud minus absurdum sane est, culturam virium voluntatis (moralium) sine æquali virium physicarum cultura sibi fingere. His rite perspectis, illa sententiarum discrepantia, quæ inter scriptores de

arte educandi valuit, utrum ita sint educandi homines, ut per se *egregii* fiant, an ita, ut aliquid ad societatem hominum afferant *utilitatis*, ad commodum illius sublata videtur; nec umquam orta esset illa dissensio, si de vi rei ipsius quam notionum diligentius cogitavissent, & si, quod hominibus a natura propositum sit, accuratius comprehendissent. In medio igitur relinquens Systemata illa educationis, quorum vel decem condita sunt, partes quasdam speciales spectantia, eam solam eamque veram educationem esse statuo, quæ hominum omnes facultates, animi simul & corporis, a principio ortus earum naturæ convenienter ad summam perfectionem excolat.

2.

Sed alius est etiam educationis finis, qui in eo versatur, ut vitam hominis futuram civitati quam utilissimam eique ipsi quam felicissimam efficiat. Quod ut fiat, homini opus est ea animi cultura, quæ facultates ingenuas congrue excolat, ut tamen suo tempore, quæ cuique sint maxime propriæ eæ diligentissime respiciantur. Si enim verum est, hominem a natura ita esse factum, ut singularia quædam ei insint, quibus certus hic homo sit ab aliis distinguendus, & si in eo versatur educatio, ut, quid hominibus i. e. naturæ eorum insit divini, id excolat, ejus etiam est, qui alios educandi munus sibi injunctum habet, curæ suæ commissos, quoad fieri potest, ita tractare, ut, quæ in iis maxime eluceant, ea etiam præ ceteris respiciat. Sed dicat quispiam: conformatio illa congrua, eo spectans, ut omnia amplectantur libertatemque assequantur, quæ summa sunt, ad quæ eniti debent homines, tollenda igitur est ob limites, quibus circumscripta est indoles singularis cujusdam hominis. Haud aliter sane videtur, ac si utilitati cederet præstantia. Sed animadvertendum est, omnem culturam hominum id primum respicere, ut vitam illi quam felicissimam agant, qua in re indoles illa singularis haud impune tollitur; deinde omnem animi culturam in eo consistere, ut perpetuo novi aliquid percipiat homo, quod idem est, ac si in indole naturali aliquid excolitur; denique non in certo hominum statu situm esse id, quo ad originem divinam accedunt, sed in cultura, quæ perpetuo aliquid addiscens numquam cessat. In eo igitur versatur omnis hominum conformatio, ut eos cogat in indole eorum naturali magis magisque universalia complecti, h. e. naturam

suam ita excolere, ut plura amplectatur liberiorque evadat. Quod ad culturam specialem, vitæ felicitatem hominumque utilitatem respicientem attinet, quæ vim hominis ad ea percipienda dirigit, quæ sibimetipsi relicta numquam percepisset, eam eruditionem dicimus. Cum vero omnis cultura non solum in eo versatur, ut mens excolatur, sed in eo etiam, ut legum necessitati subjiciatur voluntas, ne homo voluptatibus sibi cum bestiis communibus deditus, ab eo, quod sibi homini sit a natura propositum, deducatur, culturam ex duabus rebus, positiva & negativa, constitutam contemplari licet, quarum illam *eruditionem*, hanc *disciplinam* appellant.

3.

Cum in rerum natura situm est, ut homines aliorum tantum opera eam morum integritatem eamque animi virium perfectionem, qua eis ad vitam feliciter & cum utilitate degendam opus est, assequi possint; quibus vitam quisque debeat, ii etiam ad eum erudiendum & instituendum aptissimi videntur, quod naturæ etiam maxime congruere nemo forsan negabit. Nobis vero rem accuratius perpendentibus varia occurerunt, quæ, quominus parentes optimi liberorum præceptores essent, impedimento esse videntur. Primum enim ea rerum scientia, quæ ad munus tam grave tamque difficile gerendum necessaria est, plerisque deest; deinde iis de munere vel publico vel privato, quo plurimi funguntur, tantum temporis non superest, ut eam curam eamque diligentiam, quæ præceptoris est, liberis rite educandis adhibere possint; demum ea propensio, quæ plerisque parentibus adhæret, ut suos liberos præ ceteris eximios habeant, studiumque illud, quo pater progressus liberorum amplectitur, haud raro illum ineptum eorum præceptorem efficit. Quæ cum ita sint, ad alios, qui vice eorum fungantur, confugiant necesse est, & in his eligendis alii privatam, alii quæ in Scholis publicis traditur institutio, meliorem existimant. Varia est certe ratio horum duorum instituendi generum, & varia sunt etiam in utramque partem de utroque genere disputata. Quæ ex his disquisitionibus colligi solent in medium exponere nec res ipsa desiderat, nec fines opusculi permittunt. Quoad igitur fieri potest, institutionem publicam omni alio esse præstantiorem exponere conabimur. Quod ut eluceat, primum disquirendum videtur, in præsenti rerum statu privatane an

pnblica magis contingat institutio? Qua ratione si quædam comparatio institueretur, haud difficile esset enumerare plurimos viros, eosque excellentes, quos utrumque instituendi genus protulerit, quique non in singulis solum rebus admirabiles exstiterint, sed omnia etiam, quæ ad humanitatem pertinent, scientia & cogitatione comprehenderint. Quod ex hac igitur comparatione concludi posset, incertum sane esset & vagum, nec quidquam quod alteri palmam adjudicaret, in medium proferret. Fieri quidem potest, ut institutione illa privata doctrinam solidiorem & scientiam eorum, quæ ad altiores literas pertinent, melius & accuratius juvenes percipiant, sed ex institutione illa publica majus adhuc proficiscitur emolumentum; illa enim homines, ut ita dicam, finguntur. In Schola publica discipulus discipulo non alia de causa anteponitur, quam si inter socios facultate, diligentia & animi facultatibus superioribus excellat. Semper, ut meruerunt facta, discipulus pœna & præmio afficitur, quod omnibus, quibuscumque sint conditionibus, est commune. Schola publica rempublicam optime effingit, & juventus adhuc ingenua injuriam semper odit, & sensibus animi ab omni suæ ipsorum utilitatis studio alienis, justitiam, veritatem & humanitatem ardore quodam amoris amplectitur. Vis illa, quam in ludis & jocis præ se ferunt juvenes, ad optima quæque dirigenda est, & quod in ea nimium est, id tantum justis limitibus circumscribendum. Hi æquabilitatis, ejusdem juris, libertatis humanitatisque sensus, quibus ardet ætas juvenilis, magis magisque in Schola publica excoluntur comparatione, æmulatione, vita quam inter socios agunt libera, vinculis illis amicitiæ, quæ ab institutione privata absint necesse est. — Secundo loco quærendum est, num Systemata, quibus nititur institutio privata, citius certiusque emendari posse videantur, quam quibus institutio in Scholis publicis nititur? Ad hanc quæstionem resolvendam diversa generum indoles tantummodo respicienda est, & cuicumque certe patebit, institutionem privatam multo difficilius in formam Systematis posse redigi, cum ex individuali cujuscumque præceptoris facultate pendeat, utrum commendationem habuerit institutio nec ne, ex qua si ad institutionem publicam nos convertamus, illam iis principiis nixam inveniemus, quæ non solum in formam Systematis facillime redigi possint, sed etiam ejus sint naturæ, ut ab hominibus, facultate iis longe inferioribus, a quibus variæ Systematis partes in medium sunt prolatæ, adhiberi possint. Præter hanc eruditionis in Scholis publicis præstantiam, aliam quandam habet, quæ in eo versatur, ut sensim magis

magisque emendetur, cum generatio quævis hominum non solum ea, quæ ab antecedente sint excogitata sibique relicta, sedulo conservet, sed etiam aliquid novi semper addet. — Restat, ut consideremus, num tantam habeat institutio privata vim, ut eam voluntatis, corporis animique præstantiam, quam publica institutio, ad summam quæ fieri potest perfectionem perducta, commovere valeat? Quæ de utroque genere instituendi multa varieque sunt disputata & hanc ultimam quæstionis partem præcipue spectant, magis orta sunt ex comparatione minus justa eorum principiorum, quæ sibi singuli ad singulos quosdam educandos animo finxerunt, cum iis, quæ in institutione publica antiquitus fuerunt in usu, & quæ multis in partibus immutata permanserunt, cum in quocumque alio genere quædam saltim mutata sunt. Sed si quædam sit instituenda comparatio, illa non cum modo, quo plures una educantur liberi, sed cum formula institutionis in Scholis publicis perfectiori est facienda.

Quod præcipue ab iis, qui institutionem privatam defenderunt, institutioni in Scholis publicis vitio tributum est, in eo versatur, ut dicant morum castitatem, qua nihil sane est gravius, non solum diligentius curari, sed etiam melius conservari, cum in domo paterna & in conspectu præceptoris perpetuo manet discipulus. Si verum sit, exempla majorem quam verba in moribus conformandis habere vim, nullus certe infitietur uberiorem corruptelæ liberorum occasionem præberi in domo paterna, ubi puer ab institutione liber societatem famulorum sæpe pessime moratorum sedulo anquirit. Fac vero ita esse, ut puer semper oculis præceptoris observetur, num illa suæ ipsius auctoritatis opinio, quam non potest non sibi fingere puer, ad institutionem privatam commendandam aliquid conferat? Quam aliter se res habet, si ad Scholam publicam nos convertamus. Copiam illic habet juvenis sociorum ejusdem ætatis, quibus eadem sunt studia iidemque ludi, & ab illis vacui his communiter uti possunt, & quo propius illi, quibuscum vivimus, ætate & studiis ad nos accedunt, eo majorem voluptatem ex eorum societate capimus, eo majorem in nos habent exempla eorum vim, eoque major laudis æmulatio exsistit. Hæc a condiscipulis utilitas. Quid vero hinc efficeretur, nisi præceptorem omnium actionum prudentem moderatorem haberent discipuli? Ejus esse in moribus conformandis maximam vim nullus non videt. Scholam publicam non ex illis, quæ a medio ævo, adhuc restare sane do-

lendum est, reliquiis judicemus. Præceptorum præstantia tum ex intemperantia in pœnis exigendis æstimabatur, ipsaque institutio jam pœna erat & doctrina aliquid machinæ simile, quod capiti puerorum veluti torquendo infigebatur. Hoc modo certe, quæ pueris inessent ingenii dotes, non solum non in melius excolerentur, sed penitus restinguerentur; animus hoc modo sensibus ingenuis obstrueretur, & puer in vitiis occultis omnem necessario poneret voluptatem, ex quibus ea, quæ cupiditatem vehementissime irritarent eligeret, cum eum graviter aut leviter peccantem eadem tamen maneret pœna. Hoc vero nullo modo potest accidere, si ingenio ætatis convenienter construuntur Scholæ, ubi methodus ipsa institutionis utut studium omne præceptoris in eo versatur, ut discipulis amorem scientiæ rerum propter illam ipsam inculcet, ut in mentem eorum penetret, & aditum sibi faciat ad affectus animorum & ingenia, ad virtutes & vitia, ut honestis viis ad honesta quibus frui possint, eos dirigat, quo etiam bona quæ eis insunt corroborantur, mala & vitiosa suffocantur. Quæ omnia ut perficiat, vitam, quam gerit discipulus sibimetipsi relictus, cognitam habebit, ut amorem illius & fiduciam assequatur, summo opere eniti debet, & omnia sine dubio ei prospere cedent. Exhortationibus & consiliis quam sæpissime adesse debet discipulis, nec innocentiæ eorum opinionem stolidam fovens, eos inscios corruptionum & illecebrarum animi eorumque, quibuscum vivunt, hominum esse sinat, sed exemplis, quæ præbet historia & experientia, adumbrare debet, quid ex nimia vi cupiditatum effrenatarum capere possit ditrimenti non solum respublica sed etiam vita privata, quantaque sit illa corporis animique depravatio, quæ exinde oriatur. Si quis dicat, hæc, quæ de præstantia Scholæ publicæ adumbrata sunt minus fida esse, quia multi male morati e Scholis publicis exierunt, observet velim hanc depravationem non ex modo, quo constructa est Schola, necessario sequi, sed potius in deteriore quodam ætatis ingenio, a quo si obluctentur pædagogia, fieri non potest, ut homines perpoliant, esse quærendam. Jure enim a parentibus id expetendum videtur, ut indolem liberorum moralem jam ab ineunte ætate ad virtutem dirigant.

Huic adumbrationi antequam finem imponimus, præstantiam illam Scholarum publicarum summam, qua vitam, quam in civitate agunt cives, effingit, tacentes præterire non possumus. Vires suas in Schola metiri discunt juvenes, libertatem suam ita circumscribant necesse est, ut aliorum non lædant. Alius alio melior non existimatur, cuicumque

enim ubique resistitur & virtute sola conspicuus inter socios fit discupulus. Hoc modo præparatus societatem vitæ ingreditur experientia instructus, quam nulla sui ipsius acerbitate comparavit, qua tamen duce quænam sint sequenda aut fugienda exempla facile intelliget. Familiaritates quas in Schola ineunt pueri civium inter se in civitate conjunctionem adumbrant, eæque morum conformationem vel facultatem agendi convenienter legibus subjectivis in mente cujuscumque hominis insitis, pueris tribuunt, quæ institutione privata ei numquam tribuetur. Quod ut fiat, puer primum obedientiam cum absolutam tum liberam præstare debet. Qua in re efficienda publica educatio privatæ magnopere præstat, quia officia pueris injuncta omnibus sunt communia, & quia physica quadam necessitate inopiam cogitationis compensare studet. In continuanda educatione ad vim, quam habet verbum officii, animus est dirigendus, ut illi convenienter h. e. ratione duce omnia agat. Secundum, quod ad illam facultatem fingendam pertinet, est indefessum veritatis studium. Quam qui violat, nulla alia afficiendus videtur pœna, quam quæ in contemtu consistit; hic enim etiam apud pueros magnam vim habet. Tertium, quod ad hanc facultatem ope institutionis in Scholis publicis efficiendam valet, est illud inter pueros amicitiæ vinculum, quo quod in vita dulcissimum est, sibi comparat.

4.

Ut in Scholis ea rerum scientiæ fundamenta diligenter & fideliter jaciantur, quibus postea artes ipsæ & literæ exstruantur, & unde veluti ex trunco rami culturæ humanæ diffundantur, permagni sane est momenti eam adhibere methodum, qua, quod eruditione consequi quisque optat, id certo & solide assequatur. In hac methodo constituenda permagna fuit inter viros de arte educandi bene meritos sententiarum varietas. Quorum alii illam, qua quæque classis suum habeat prceptorem, qui omnes solus tractabit disciplinas, optimam duxerunt, alii eam, qua præceptores cujusque Scholæ inter se disciplinas distribuant, quas per totam Scholam tractabunt, aliique eam, qua discipuli præterea singulas quasdam artes, in quibus erudiantur eligere possunt. Quod ad ultime allatam methodum pertinet, quæ summam sane utilitatis præ se speciem ferre videtur, an in Scholis præsertim cum utilitate sit ad-

hibenda, dubius sane hæreo. Primum enim institutio non interrupta exsistere posse mihi non videtur, nisi pueri pueros invicem erudiant, & quæ ex hac instituendi ratione incommoda emergere possunt, præsertim si de rebus quibusdam absconditis aliisque, quarum cognitio Monitori non satis est enucleata, agitur, haud difficile intelligitur. Quod præterea ad principium attinet, quo nixa videtur ipsa methodus, illud nimis materiale videtur, quia eam fovet opinionem, nihil aliud esse discendum, quam quod in vita communi insignem quandam secum habeat utilitatem. Quod si diligentius consideremus, quam inconsiderate agant parentes, qui nimio proprii commodi studio menti liberorum, cum quod vitæ genus eligant nondum perspexerint, quasi contemtum quarundam disciplinarum instillent, cum, quam parvi easdem ipsi faciant, iis notum facere non intermittunt, nullus non videt. Perfacile intelligi potest, nihil magis impedire, quo minus in quadam disciplina proficiant liberi, quam cum parentes illam superfluam & fere negligendam existimant. Hoc etiam vim suam exserit in ceteris rebus, ad quas, quia permagni sunt laboris & temporis, inviti feruntur; inclinationi enim animi faventes, ab iisdem etiam liberari volunt. Quo fit, ut omnino evanescat omnis literarum amor, & in quibusdam rebus se præceptoribus prudentiores opinentur discipuli. Nulla igitur mihi videtur contemnenda disciplinarum species; ignari enim eorum, quæ in posterum liberis cognitu necessaria inprimisque utilia fieri possunt, memoria semper teneant, omnia, quæ mentem cogitationemque quodammodo occupant, etiam ad facultates animi exercendas & excolendas aliquid conferre. Perfectissima præterea animi facultatum cultura, quæ eruditione efficienda est, mihi haud assequenda videtur, si quis ab initio eruditionis omnem agendi vim in res quasdam singulares totam direxerit. — Quod ad reliquas duas methodos attinet, institutio in Scholis inter utramque ita dividi posse videtur, ut illa, ex qua idem præceptor omnia solus tractat in inferioribus Scholarum classibus, ubi ab octavo ad decimum quartum ætatis annum instituuntur pueri, adhibenda sit, illa vero ex qua inter se disciplinas distribuunt præceptores in superioribus classibus, quæ in adolescentium studiis perficiendis versatur, potius adhibeatur. Dicunt quidem, nec id injuria, unum eundemque hominem non æqualem habere omnium literarum cognitionem, ideoque ineptum esse, qui, quod ipse nesciat, alios doceat. Sed observetur, in classibus inferioribus eam tantum requiri disciplinarum cognitionem, qua nemo quandam ingenii culturam sibi vindicans carere

potest; præterea majoris est etiam momenti, si institutione efficere queat ut, quod ipse sciat, id discipuli sine nimia temporis jactura mente & cogitatione possint complecti, quam si solida quarundam literarum cognitione nihil ad discipulorum utilitatem conferre valeat. Discipulis præterea non inutile esse videtur, si in classibus inferioribus perpetuo admonentur multa sibi ad perfectam rerum scientiam deesse, cum e contrario illa libera translatio, quæ a methodo tertio loco nominata haud alienanda est, iis necessario affert opinionem se plura nosse, quam re vera noscunt. In methodo altera, quam Ambulatoriam dixerunt, cavendum est, ne multitudine præceptorum disciplina vel tota dissolvatur vel debilitetur, præsertim cum in ea rite servanda magna præstantiæ cujuscumque Scholæ pars sita est. E re igitur haud alienum videtur, unum esse toti Scholæ præfectum, cui nullum sit injunctum speciale docendi munus, sed qui res illius solummodo dirigat, & quamcumque ad eam emendandam occasionem arripiat. Sed ad ipsam eruditionis materiem progrediamur.

5.

Juventutis ætas ver omnis vitæ summo jure æstimatur, & ut vere semina frumentorum terris mandentur, ut suo tempore fructus edant uberrimos, ita etiam huic ætati semina eruditionis mandanda sunt, ne, dum curis rerum terrenarum urgentur, ab omni præsidio sint derelicti homines. Quod ut fiat, quævis juventutis pars, quarum primam infantiam, alteram pueritiam, tertiam adolescentiam dicimus, respicienda est, nec cuiquam aliquid tradendum, quod non facultatibus huic ætati propriis sit consentaneum. Quarum facultatum excolendarum tempus si respiciamus, infantiæ nulla alia est tribuenda facultas, quam *intentio animi*, qua res objectas inter se discernit, nullam his rebus intelligentiam adjungens, qui res contemplandi modus desinit cum illa sui ipsius cognitione, quæ oritur, quando interna intuitionis vi suum ipsius ego pronuntiare valet. Hoc in fine anni tertii fieri solere experientia docet, & tum ipsa infantia est confecta. Quam partem juventis contemplantibus patebit, ei nullam eruditionem posse adhiberi, sed parentum omnem curam in eo versari debere, ut liberos doceant majorum voluntati semper obedire, libertateque sua ita uti, ut aliorum jura numquam lædant.

6.

Nobis illud juventutis stadium, quod pueritiam diximus, ingredientibus, latior jam industriæ sese aperit campus. Infantiam si respiciamus eique adjunctam culturam sensuum, quasi quoddam studium comprehendendi infinitum animadvertimus, quod tamen studium semper limitibus quibusdam cohibetur, ut hæc vitæ pars, tamquam pugnam inter finitum & infinitum haud immerito ostendere videatur. In pueritia vero jam perfectior sese exserit cultura facultatum sensuum, qui, cum conjunctim agere incipiunt, non solum inter se subtilitatem quandam assequuntur, sed etiam efficiunt, ut res externæ, quibus moventur, facilius excipiantur & uberiores quam antea adsint. Septimo vero ætatis anno, cum ex legibus naturæ in ipso organismo hominis permulta commutantur, puer etiam conjunctione omnium facultatum sensuum excultarum imaginem temporis & spatii nullis obnoxiam erroribus sibi fingere potest, & ab utroque infinitum discernere cœpit. Quam sibi animo finxit copiam rerum imaginibus externis utut etiam *vi illa*, qua eas *connectere* valet, continuo augetur. *Vis imaginandi*, qua antea tantummodo motus excepit, magis magisque libera fit, ut animo consignatas rerum notiones iterum producere valeat. Quod cum fieri potest, memoriam etiam summe excultam esse contendere licet. Mens ipsa non solum accuratius, quæ sibi sensuum ope obferantur, excipit rerum notiones, sed in id etiam omni studio incumbit, ut novas quasdam imagines, &, quoad fieri potest, universas quasdam notiones fingat. — Huic facultatum culturæ convenienter, mihi studiorum genera, quæ pueris sunt tradenda, eum inter se ordinem servare debere videntur, ut primum cognitio naturæ, quatenus intuitionem spectat, tradatur, deinde Geographia, tum Historia, patriæ præsertim, postea Mathesis, denique lingua Svecana & quæ cum illa arctius cohærent linguarum principia, demum linguarum, quas dicunt Classicas, principia. Cum vero pueritia ipsius naturæ institutione in duas partes quasi divisa sit, quarum prior a quarto ad septimum, posterior ad decimum quartum ætatis annum permaneat, etiam in ipsa disciplina tradenda hujus rei ratio habeatur, ut quæ priori periodo elementario modo traduntur, studia, ea in posteriori etiam, gravius vero & magis ex arte, ut ita dicam, tractentur.

Dicunt omnino doctrinam Religionis esse eam, unde omnis institutio sit ordienda, quia virtus aliter nec percipi nec coli potest. Nec

is sum, qui dicam, aliquid homini gravius & sanctius esse debere, quam ut eum, cui omnia, quæ oculos animumque delectant, debemus, a quo omnia, quibus fruimur, beneficia proficiscuntur, rite cognoscere & pie colere discat, sed ea ratio docendi, quam invaluisse sane dolendum est, qua puerorum memoriæ præcepta quædam religionis traduntur, quæ intellectu percipere nondum possunt, a proposito valde aliena videtur. Quid enim absurdius, quid stultius esse potest, quam puerorum animum, cui omnis officii notio adhuc incognita est, officiis quibusdam erga Deum servandis imbuere? Qui naturam puerorum diligentius observavit, negare certe non poterit, studium quoddam Religionis jam a teneris sese exserere in fiducia, gratia & pietate, quam parentibus habent; quo melius vero eos aliosque iis potentiores noverint, & quo magis vis imaginandi aliquid perfectius exquirit, quam quod offerre possunt res humanæ, eo celerius ad numen quoddam superius sese vertent. Quod studium si crescet, & si numen summum pueris sanctum erit, hoc a parentibus promovendum est, & numinis summi natura ab iisdem & aliis, erga quos habent observantiam, modo huic studio convenienti dilucide explananda. Optime, me judice, hæc contingant, & facillime prima summi numinis cognitio liberis inculcetur, si patrem quendam, quem etiam parentes venerentur, commemorari ab iis quam sæpissime audiant. Facultatibus animi magis excultis, campum etiam latius patentem, in quo versetur crescens indagandi studium, puer anquiret. Summa captus animi voluptate oculos suos in naturam rerum diriget, & dum ille eam contemplatur, non solum exsistentia mundi, sed etiam miracula quæ ubique exhibet, varietas & magnificentia rerum, quam ubique animadvertit, numinis exsistentiam, quod in puerili innocentia parentes eum venerari docuerunt, præclare confirmabunt. In libro naturæ aperto multo libentius multoque certius doctrinam de Deo percipiet, cujus omnipotentia, sapientia & bonitas multo simplicius sese indicabunt, quam si puer cogatur verba quædam & definitiones, quarum sententiam intelligere non valet, lectitando memoriæ infigere; ita enim multo labore multoque fastidio eruditus, sensibus a bestiarum paulullum remotis terræ fructus calcabit, nulla numinis, quod iis inest quodque ubique declarant, cognitione percepta, id quod ab eo, quod sibi homini propositum est, alienissimum esse nemo negabit. Ab hominibus enim jure exposcendum videtur, ut aliis oculis, quam qui stuporem tantummodo propriique commodi studium significant, terram & quæ ex illa gignuntur contemplen-

tur. Cum animus studio naturæ ita est præparatus, inchoanda est ipsa religionis institutio, quæ ordienda est ab historiis e Scriptura Sacra depromtis, quas dicunt biblicas, eo modo compositis, ut verba ipsius codicis sacri, quantum fieri possit, adhibeantur. E re haud alienum esse videtur, si Scripturam Sacram ad usum Scholarum ita compositam haberemus, ut, quæ in ea difficiliora sint intellectu, notulis illustrentur; majorem enim e studio illius voluptatem caperent pueri majoremque utilitatem, quam cum ea, quæ non intelligunt, sæpissime legere coguntur. His cognitis præcepta ipsa religionis sequantur; quæ etiam quasi disserendo discipulis inculcanda sunt, ne tædio hujus disciplinæ capiantur, quod haud dubie fiet, quamdiu illa latine perscripta compendia Dogmatica in Scholis adhibentur, quorum usus huic saltem vitæ periodo non est accomodatus. Hæc mea de ratione religionis docendæ in Scholis opinio, quæ si obtineret, mens puerilis non solum tantum de Deo, quantum opus sit, scientiæ assequeretur, sed etiam ad subtiliorem religionis eruditionem satis esset præparata.

Geographiam inter studiorum primitias esse ponendam, nullus, necessitatem illius in omni vita etiamque naturam puerorum secum considerans, negabit. Studium vero illius ita incipiendum est, ut, priusquam discipulo compendium quoddam vel mappa tradatur, præceptor ei formam & magnitudinem terræ, relationem, quam ad solem & reliqua corpora cœlestia habeat, primaque quasi lineamenta systematis Centralis dilucide & ad intelligentiam ejus apte proponere studeat. Hac parte Geographiæ, quam *mathematico-topicam* appellare licet, jam percepta, ad *topicam* progrediendum est, in qua tractanda ope Globorum, qui in prima institutione perpetuo sunt adhibendi, ne perversam sibi terræ imaginem fingant discipuli, quot sint orbis partes, cur suis nominibus sint instructi circuli, quibus in Zonas divisa est terra, quæ in quacumque Zona sitæ sint terræ, qui montes, fluvii urbesque capitales discipulis præceptor demonstrabit. His rebus animo & memoriæ mandatis, ad partem Geographiæ *politico-statisticam* progrediendum est, in qua tractanda mappæ adhibendæ sunt, quæ tantum terminos, situm fluviorum, montium, urbiumque nullis adjectis nominibus delineant. Quæ methodus, illum mappas Geographicas delineandi laborem, qui discipulis permultum temporis auferat necesse est, superfluum reddet.

In Historia tractanda methodus illa, qua puero pensum memoriter ediscendum traditur, cujus summam deinde a præceptore interrogatus

recitabit, & in qua sæpe nimia annorum habetur ratio, non modo non amorem, sed potius fastidium hujus studii pueris affert. Equidem ita sentio, pueris quidem pensum aliquod proponi debere domi perlegendum, præceptor vero antequam examinantur discipuli hocce pensum disserendo repetere debet, ut non solum, quæ sint memoria dignissima, intelligant, sed etiam series factorum cum suis causis, & quæ ex quocumque secuta sint, continua oratione exhibita, eis plane cognita fiant. His peractis alius discipulus aliam ipsius pensi partem commemorare debet, quo fiet, ut non solum series ipsa factorum altius in memoria insideat, sed majus etiam emolumentum inde emergat, cum pueri hoc modo adsuescantur res illas, quæ in vita communi tantam adferunt voluptatem, perspicua & continua oratione commemorare. In Historia pueris tradenda, summa adhibenda est diligentia, ut quod cuique ætati sit aptissimum, id potissimum exponatur, quia hocce studium rite tractatum majorem quam cetera omnia vim habet ad amorem patriæ in pueris excitandum.

Artem Mathematicam respicientes, illam vulgo in Scholis aut neglectam aut non rite tractatam invenimus. Quæ hujus artis iniqua tractandæ ratio ut quodammodo defendatur, contendere non dubitant, illam artem ingenio puerili esse nimis difficilem, ideoque maturiori ætati servandam. Equidem hanc sententiam non solum improbo, sed e contrario contendo Mathesin inter primitias studiorum esse ponendam. Quod primum ad Arithmeticam attinet, illa quidem in inferioribus cujuscumque Scholæ classibus doceri solet, sed eo modo, ut in calculis perficiendis exerceatur discipulus, & tamquam Mechanismo, quod ei proponatur conficiat. Priusquam vero calculos perficiendi fecerit initium, quomodo orti sint numeri & quænam eorum sit natura, diligenter ei est demonstrandum, & in quacumque calculi specie, quibus quæque nitatur legibus sedulo est repetendum. A re alienum non est, si postea illa calculos mente perficiendi methodus adhibetur. Illa enim non parum utilitatis affert in iis Matheseos partibus, ubi mens sola agit, & quantum præterea commodi in vita communi afferat, quis est quin perspiciat? Geometriam si contemplemur, multo majoribus difficultatibus obnoxia videtur. Cujus rei causam quærentes, illam in perversa ejus tractandæ methodo haud dubie sitam inveniemus. Ab illis enim Euclidis Elementis initium vulgo faciunt præceptores, quæ, quamvis optima sint, quæ in Scholis adhibeantur, tamen ante annum

decimum quartum haud legenda videntur. Prima vero Geometriæ institutio a figurarum intuitione & delineatione sine dubio ordienda est. Figuræ enim in Geometria idem ac literæ in linguis sunt, & apud pueros plus quam ipsa verba valent. Facultas enim abstrahendi magis magisque augentur, &, quod semel mente & cogitatione excepit puer, id postea verbis proponere poterit, & demum de ratione earum rerum, quas sibi animo finxit, aliquid concludere. Quo sæpius quoque correctius figuras delineavit, eo magis intuitio ipsa & notio connectantur necesse est, eoque facilius conclusiones magis implicitas in partes suas resolvet. His peractis ad definitiones progrediendum, quarum gravissimæ quæque memoriter sunt ediscendæ, non quia eas hoc modo melius intelliget discipulus, sed ut mens aliquid certi, quo nitatur, semper habeat. Ad elementa ipsius Geometriæ accedentes, illa quæ vulgo adhibetur methodus, qua discipuli Theoremata & Problemata, quæ ibi occurrunt, lectitando memoriæ infigere coguntur, præsertim in initio a proposito valde aliena est. Persæpe enim accidit, ut iis, quæ in libro legerint, adeo adhæreant, ut mutatis literis & lineis, quæ sunt demonstranda, demonstrare non valeant. Quæ cum ita sint, (ita enim esse experientia satis docet), illam potius adhibendam methodum censeo, qua præceptor Thesin discipulis proponit, eosque ad eam proprio Marte demonstrandam adhortatur. Quod si statim fieri non potest, quod quidem sæpissime accidat, viam, quam ingredi debent, discipulis præceptor monstrabit, afferendo quædam, quæ, si demonstrari possunt, cetera omnia faciliora reddent. Thesin si adhuc demonstrare nequeunt discipuli, ad eum usque finem difficultates minuere pergat præceptor, donec, quomodo demonstretur Thesis, luculenter perspiciant. Deinde ipsam demonstrationem recitare debent quidam discipuli ut memoriæ infigatur. Hoc modo non solum intelligendi prudentia, quam studio Geometriæ inprimis spectamus, acuetur, sed majus etiam emolumentum, quod in solidiore ipsius rei cognitione situm est, assequuntur juvenes.

Omnium rerum, quæ in Scholis tractantur, nulla est, quæ majoris videatur momenti, nulla in qua cognoscenda majus ponatur studium majorque cura, quam cognitio linguarum. Neque hoc mirum, si modo rem ipsam acrius pervestigemus. Si enim in eo versatur omnis institutio, ut quas rerum notiones in animo effinximus, eas excolat, & si eæ nisi verba accesserint vel obscuræ vel mancæ sunt, linguarum studium non potest parvi esse momenti. Cum præterea ea est linguarum

plurimarum natura, ut sine indefesso studio, multo labore temporisque impendio in iis aliquantum proficere non possimus, mirum non videbitur illis tantum in Scholis tribui. Cum vero quæritur, a qua lingua prima institutio est ordienda, fuit quidem & adhuc est sententiarum quædam discrepantia; alii enim a linguis sic dictis Classicis, alii a vernacula eam esse incipiendam censent. Utra harum sententiarum alteri sit præferenda, decernere non audens, obiter tantum animadvertendum moneo, linguam quamcumque duabus rationibus posse considerari, vel ut instrumentum quo percipiatur rerum scientia, vel ut aliquod, quo cogitata exprimantur. Priori ratione omnes linguæ ejusdem sunt utilitatis & tantummodo ideo æstimandæ, quia quasi clavem præbent rerum scientiam percipiendi; altera vero ratione pretium quoddam, ab omni in vita utilitate alienum, per se habere possunt. Fieri enim potest, ut alia lingua alii præstet, non solum vi & copia verborum, sed mollitie etiam & indole, qua valeat, mores & gradum culturæ gentis effingere. Hanc esse linguarum Classicarum naturam, certe nemo studio earum ad humanitatem excultus negabit. Quæstio vero est, num tanti sit facienda hæc earum indoles, ut etiam aptissimæ sint, quibuscum institutio prima linguarum incipiatur. In omni eruditione ad facultates animi esse respiciendum inter omnes constat, & si a facilioribus ad difficiliora, a concreto ad abstractum semper est progrediendum, eadem mihi in linguis discendis adhibenda videtur cautio, ne pueri, antequam vernaculam perceperint, cum peregrinis linguis garriant. Quid enim ineptius esse potest, quam puero, ut doctus & facetus videatur, peregrinarum linguarum scientiam tradere, sermonemque patrium, in quo tanta est vis amorem patriæ excitandi, aut fortunæ committere aut plane negligere? Genio sermonis patrii quodammodo percepto ad eas, quæ cum illa arctissimo vinculo cohærent, progrediendum est. Ad Classicas linguas si deinde accedamus, difficultates, quibus vulgo laborare videntur, ex parte certe erunt sublatæ. In his linguis tractandis, quoad fieri potest, evitanda est illa, quæ nimis late serpsit consuetudo, qua pueri in Grammatica memoriæ infigenda sudant. Hocce enim studium per se, puero saltim, non modo non amorem sed potius tædium linguarum afferre videtur. Præceptoris igitur esse debet prospicere, ut e Chrestomathia intelligentiæ puerorum accomodate composita, cui adjunctus sit index completus verborum, primum copiam verborum percipiant, deinde regulas disserendo & e contextu verborum eliciendo memoriæ puerorum mandare debet, quas,

si deinde in ipsa Grammatica easdem repetant, multo facilius multoque certius percipient. Ut vero genium linguarum perspiciant, quantum fieri potest, proprio Marte pensa pueris sunt discenda & ab illis recitata a præceptore iterum repetenda, ut sententia ipsa iis magis perspicua evadat. Porro ut animum moveat ad diligens harum linguarum studium, quæcumque ex Historia, Mythologia & Antiquitatibus occurrunt, ea explanet & explicet. Præterea Ciceronianum illud semper meminerit: "*Stilum esse optimum & præstantissimum dicendi effectorem & magistrum.*"